



Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Sammlung für allgemeine Landes- und kurfürstliche
Haus-Angelegenheiten

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

11. Herr Nicolaus von Wenden versichert dem Könige Erich von
Dänemark, daß er mit seinem Anhang, wozu der Markgraf Hermann
gehört, nach Maßgabe des am 22. Juli zu Schwan geschlossenen Friedens

...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56615)

11. Herr Nicolaus von Wenden versichert dem Könige Erich von Dänemark, daß er mit seinem Anhange, wozu der Markgraf Hermann gehört, nach Maßgabe des am 22. Juli zu Schwane geschlossenen Friedens geeinigt sei, am 1. August 1301.

Omnibus presens scriptum cernentibus Nicholaus, Dei gracia Dominus de Wenden, salutem in domino sempiternam. Noverint vniversi, nos magnifico principi, Domino nostro carissimo Erico, eadem gracia Danorum, Slavorumque Regi promississe, Quod fauctores nostri omnes et singuli, videlicet Marchio Hermannus de Brandenborch, princeps illustris, Domini Bugguzlaus et Otto Duces Stetinenfes, Domini Henricus senior ac junior Magnopolenses, Nicholaus, Guncelius, Comites Zwerinenses, illustres Duces Saxonie Johannes et Albertus, Episcopus Zwerinensis Godefridus venerabilis, cum ipso et suis fauctoribus omnibus et subditis, ex nunc concordēs esse debent et contenti, super omnibus causis et controversiis inter ipsos motis, in eo, quod amici partis utriusque, quos ad hoc assumpserint, amicabili compositione vel via iuris decreverint ordinandum, et quod anno domini M. CCCI. in die beate Marie Magdalene, Sewan, inter eundem Dominum nostrum Regem ex una parte, et nos ex altera, concordia firma et pax stabilis sunt firmate, precipue cum nos super omnibus dissensionibus et causis, inter ipsum et suos, ac nos et nostros, usque ad hec tempora motis et existentibus, voluntati sue sine protestacione et condicione qualibet submisimus simpliciter et expresse, et specialiter super terris Gnogen, Werle, Calant, municione Sywan, et medietate terre, eidem municioni adiacente, super quibus omnibus ex deliberato consilio idem dominus noster sic decrevit ordinandum, Primo vidilicet, quod municio Sywan, cum medietate tocus terre, que eidem ab antiquo adiacuerat, ipsi domino nostro et suis successoribus, cum vasallis, iuridicione et pertinenciis univēsis, ab inpeticione nostra et successorum nostrorum, cedat in perpetuum libere possidenda, quas municionem et terram, cum premissis omnibus sibi et suis successoribus ex nunc libere resignamus. Terram eciam Calant, sicut dominio Rozstoc prius adiacuerat, ab inpeticione nostra et nostrorum liberam habeat, cum vasallis, solucionibus, et iuribus univēsis, in qua frangere debemus et omnino deponere municiones omnes, quas construximus et tenemus. Terra eciam Gnogen, cum attinenciis suis, modo consimili sibi cedat, cuius medietatem nobis pro duobus milibus marcarum argenti nomine pignoris obligavit, Ita videlicet quod secum coadunata manu medietatem vasallorum, iuridicionis et fructuum teneamus et levemus, donec pro summa argenti huiusmodi redimatur. In qua terra municiones, quas ipse et nos tenemus, ex nunc frangere debemus, et alias similiter, videlicet Sulten, Telfyn, Dobisdorp et Law, sicut et alias predictas, in terris Caland et Gnogen, infra quartam feriam iam instantem. Terram autem Werle in suis terminis, sicut fuisse dinoscitur, cum Domino de Rotzstoc inpignorata fuerat, nobis libere resignavit, exopto solummodo campo Sywan adiacente.

Ceterum captivos omnes in castro Tefsyen per ipsam Dominum nostrum nuper captos, hiis solum exceptis, qui per vassallos eiusdem prius capti fuerant, quos civibus Rozstocenfibus pro duobus milibus marcarum Slavicalium assignavit, liberos facere debet, si poterit, vel ipsa summa pecunie super medietate terre Gnoge nobis computetur. De filio eciam Nortmani militis, si aliter liberari non poterit, quam pro sexcentis marcis denariorum vel minori, similiter est placitatum. Promittimus insuper per presentes civibus in Rozstoc litteras eorum obligacionis, quas habemus sub sigillo civitatis super quadam summa pecunie, ratione talie nobis promisse, restituere vel omnino in irritum revocare. Debet insuper quilibet bonis suis, sicut ante motam discordiam, uti libere et secure morari in eisdem ac servire tantum Domino, sub quo residenciam facit personalem, faciendo nichilominus de bonis aliis homagium Dominis suis, in quorum dominiis possidentur, ac cuilibet sit transitus liber et securus hinc inde in partibus quibuscunque pro suis negociis et agendis. Preterea promisit dictus Dominus noster pro Moltekinibus omnibus, et nos pro illis de Snakenborgh, quod inter ipsos ex utraque parte concordia stabilis teneatur, Ita tamen, si inter aliqualis querimonia mota fuerit, qui inpetitur, coram Domino, sub quo moratur et bona possidet, stabit iuri. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Rozstoc, Anno supra dicto, in die beati Petri ad vincula.

Nach den Rosstoker wöchentl. Nachrichten vom 3. und 10. Februar 1753.

12. Markgraf Otto bewilligt als Landfriedensrichter in Sachsen dem Bischofe Siegfried von Hildesheim, das Schloß Westerhof zu kaufen, am 14. Mai 1302.

Nos Otto, dei gratia Brandenburgensis et Landesbergenfis Marchio, Judex Pacis per Saxoniam generalis, tenore presentium ad vniuersorum notitiam cupimus peruenire, quod de mera nostra, seu omnimoda, ac omnium Principum, Nobilium et Baronum, Pacis coniuratorum voluntate existit, Quod Reuerendus Pater Dominus Syfridus, Hild. Ecclesie Episcopus, Castrum vocatum westerhoue, sibj et Sue Ecclesie, emat seu comparet, tytulo emptionis possidendum. In cuius Rej testimonium, prefens sibj damus scriptum Sigillj nostrj appensione communitum. Datum Anno domini M°. CCC°. II°. Die Sanctj Bonifacij Martiris et Pontificis, in placitis Haldesleue.

Nach Eubendorf a. a. D., S. 98.